

THEOL.  
MUSEI

Dies. rupa. 11





Continentur hoc volumine .

1. D. H. M. Eccardi Disp. de Natura et principio Theologiae. It. de S. Scriptura Disp. II
2. D. Eccardi Disp. 1. de Deo eusq' attributis. 2. de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. 3. de Creatione Conservatione et gubernatione mundi. It. de Angelis. 4. de Providentia divina.
3. D. Eccardi de Divinitate Christi contra Photinianos. & Eccardi
4. D. Eccardi de Peccato originis & Arant's.
5. D. Eccardi de Mysterio Incarnationis & Flensner 2. de Predestinatione. & Tegetmeier. (3) de Conversione hominis ad Deum cum Appendice. & Neomarius. 4. de Justificatione hominis coram Deo & Melman. 5. de Renovatione hominis. 6. de Ecclesia et quatuor Novissimis. & Alberti.
6. D. Eccardi de Ecclesia Disp. Inaug. & Herckelius.
7. D. Eccardi de Sacramentis in genere. de Sacramento Baptismi. 2. de S. Sancta Eucharistia seu Vera Domini contra Reformatos. It. de Vera Domini contra Pontificios. It. de Vera et reali presentia Corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, contra Calvinianos.
8. Gründliche Andenckung P. Wittfelt Sec. 1. etc. D. H. M. Eccardi.
9. C. Horneij Disp. Inaug. de S. Scriptura sub phil. D. 3. Calixti.
10. D. I. Musaj Disp. de Peccato in Spiritum S. Heber.

11. D. Weinmanni disp. de Peccato in Spiritum S. & Stank
12. Philippi Melancthonis et Martini Chemnitij Testimonia  
quod omne peccatum quoad formale suum non sit posi-  
tium sed privativum quid.
13. Aegidij Hunnij et Leonh. Flutleri testimonia quod omne  
peccatum ex.
14. D. I. Musæi disp. de Fide prima, quæ est de causa  
fidei efficiente. & Zener.
15. D. Niemannij de Bonis operibus & Engelbrecht.
16. D. Gerhardi Gzougnub von Gzougnub nicht den Gzougnub  
rind Gzougnub Gzougnub Gzougnub etc. etc. etc.  
Testimonia recentiorum ecclesie doctorum, quod pie-  
tatis vitæ et bonorum operum à Deo præceptorum  
studium fidelibus ad salutem necessarium sit.
17. D. Musæi Sadonectan ob quibusdam notis  
in Gzougnub Gzougnub.
18. D. I. Musæi de Natura et definitione Ecclesie  
& m. l. Kunneken.
19. D. Calovij de Triplicis Spiritus S. gratia, vocantis  
justificantis et conservantis quidditate et diver-  
sitate & Steller.
20. Szm. Voss disp. mauro. de Aurea salutis catena  
Cap. 8. qd Rom. 4. 29. 30. sub psid. D. Cellarij.
21. D. I. Musæi de Baptismo & N. Keilius.
22. D. Petri Musæi de Baptismo & Starckius
23. D. Trügman de Salute Infantum pæpue v. Christianorum  
sine Baptismo decedentium & Tegüze.

24. D. I. Musæj de Communionē sub utraq̄ spe  
cie, utrum à Christo præcepta sit, & Schrötelij.
25. D. I. Musæj de Sacra Coena, sintne corpus et  
sanguis Christi in ea realiter præsentia, contra Vorstium.  
*disp. II.*
26. D. Havemanni Demonstratio quod vere adsit rea  
liter ac substantialiter corpus Christi & manducetur  
& sanguis Christi ac bibatur in S. Eucharistia.
27. D. Alb. Graueri *disp. de Idololatriæ Corporis Christi*  
*festo M. Legdeus.*
28. D. E. Gerhardi de Custodia Angelorum &  
*Jirvillij.*
29. D. E. Gerhardi de Termino vitæ humanæ. *Rhaubi*
30. D. Meisneri de Statu animarum separatarum.  
*& p. Lic. Derschow.*
31. D. E. Gerhardi de Appellatione ad Supremum  
et incorruptum Iudicem Jesum Christum, quam  
vulgo Citationem dicunt in valem Josaphat.  
*& Neumann*
32. M. Alb. Elers *Disput. Inaug. de Resurrectione carnis*  
*sub p. D. C. Horneij.*
33. D. E. Gerhardi de Claritate corporum nostro  
rum in futuro seculo & M. Hedenus.
34. D. E. Gerhardi de Natura et quidditate lumi  
nis gloriæ & Gebhardi.
35. D. Niemannii de Aeterna infidelium reproba  
tione & M. Hedenus.
36. Hildebrandi de Conscientia variisq̄ ejus  
casibus *Disp. moralis & Grotius.*
37. Chemnitij *Disp. Inaug. moralis ac practica de Tentati  
onibus Spiritualibus sub p. D. Majoris.*

38. D. Lütkeimanni de Vero homine Diss. Physico-  
Theologica in qua ventilantur qst. 1. An Christus  
tempore mortis verus homo permanserit. 2. de  
mundo intelligibili 3. de Paradiso primi hominis  
habitu primo.

FINIS.



me  
lig.  
t  
m.  
ea  
tur  
ti  
t  
obi  
m  
m  
m  
nis  
ro,  
ni,  
la  
i,  
3





27.  
Q. D. B. V.  
DISQUISITIO THEOLOGICA  
DE  
SALVTE IN-  
FANTUM,

Præcipuè verò  
CHRISTIANORUM SINE BA-  
PTISMO DECEDENTIUM.

*Quam*  
IN INCLYTA LEUCOREA  
PRÆSIDE,  
VIRO

*Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,*  
DN. JOHANNE *Deutschmann*/

SS. Th. D. & ejusdem P. P. longè celeberrimo,  
Alumn. Electoral. Ephoró gravissimo, nec non Venerandi  
Collegii Theol. h. t. Decano Spectabili  
DN. Præceptore, Patrono ac Promotore studiorum  
suorum & tatè m colendo.

*luci publicæ sistit.*

AUTOR ET RESPONDENS

BARTHOLOMÆUS *Gschütze*

Gryphenbergâ Pomeranus.

*Ventilandam in Acroaterio Majori d 23. Nov.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI Anno M DC LXIII,



3 A L V T B I M

F A S T U M

P r i n t e d

G E R M A N I A N U M

P R I M O

I N

1 7 8 0

E N T R I A

8 8 . T h . D . S c h u d e n

A . M . S .

E . M . S .

L i t t e r a t u r

1 7 8 0


F A S T U M

O n

1 7 8 0

1 7 8 0





I. N. J.

## Proæmium.

**S**I quandò intentiùs animum ad fidei Christianæ capita advertimus, in specie verò ad Sacramentum Baptismi cogitationes conferimus, non deesse ubiq; quæ labores & studia nostra fatigare possint, intelligimus. Ad caput causæ nostræ de Baptismo convertimò nunc curas saltem, quod magni sanè momenti controversiis plurimis nobilitatum non patrum modò vidit memoria, sed & adhuc nostra; in quibus ea quidem meo iudicio non videtur esse ultima, quæ moveri solet de baptismi necessitate, utrum ea tanta si, ut Christianorum infantes, sine eo aliquando decedentes, nullo modo salvari possint. Quæ controversia licèt à nostris sæpiùs accuratè, decisa ac declarata reperiat, tamen nunc eam repetere denuò sedet animo, & ità Numine Trinuno adspirante, nec non facem præmonstrantibus Theologis *γνησιώς* Lutheranis disquirere, quid de infantum christianorum, casu meræ privationis Baptismi extinctorum, salute tenendum siet; & verò præprimis juvat disputationis telum stringere in hæreticissimam Pontificiorum catervam ac infamam Calvinii sobolem, quos aliàs heterodoxos in quibusdam dogmatibus, mirum dictu, syncretizare & convenire, ecquis amplius dubitet? Ostendit nimirum id ipsum haud imi subsellii ille Theologus B. Himmelius in harmoniâ suâ Calvinicâ, calculum suum non denegante, summo & incomparabili D. Gerardo *τῶ ἐν ἀγίοις* disputat: Academic. in quibus studium pietatis labefactari ostenditur disput XII. th. 10. Circa hoc autem negotium haud idem sentire ac loqui deprehenduntur. Illi quippe occidentalis Anti-christi bastatores ac admiratores exorbitant hîc quoad excessum, monente B. Huttero L.L. Theolog. de Necessitate Baptismi p. 668. dum videlicet tantam baptismo asserunt necessitatem, ut infantes quocunq; etiam casu prius per mortem, quàm baptismum perceperint, abreptos damnatos simpliciter esse contendant. Quid adhuc alta soli sapientes

A 2

scili-

scilicet! Calviniani? hi verò in adversum impingunt scopulum, & peccant quoad defectum, notante iterum B. Huttero l. a. c. Baptismi necessitatem nimium quantum extenuando, vel si id, quod res est, dicendum, *simpliciter negando*, ut loquitur B. Gerhardus in L. L. Theolog: de Baptismo §. 236.

Atq; hinc porrò hæc eorum sententia est, quod statuunt, infantes fidelium pariter omnes sive baptifatos sive non, modò sint per absolutum, quod fingunt, electionis æternæ decretum ad vitam præterminati, beatos fore æternum; cæteris verò & intra & extra Pomæria Ecclesiæ natis, quos nimirum absoluta illa ab æterno electio minime attingit, vitam & salutem æternam omnino, etiamsi millies baptizentur, plusquam impio conamine præcisam volunt. Utrumq; ex falsissimis, quas in sinu jam pridem fovent, hypothesibus de sanctitate nimirum, quâ fidelium liberos ab ipso utero gaudere aiunt, absolutâ item illarum electione & aliorum absolutâ reprobatione oritur, quemadmodum id è sequentibus constabit fusiùs. Cæterum nos regia mediocritatis Lutherana vestigia legentes, Romanensium sententiam repugnare DEI Opt:Max. misericordiæ, clementiæ ac veritati, Calvinianorum vero doctrinam ejusdem æquitati, mansuetudini ac sanctitati asserimus, contrariam demonstraturi, exorato priùs Numinis supremi auxilio præsentissimo.

SECTIO I. *περὶ παρασκευασικῆς.*

Th. I. Antè verò quàm ad id, in quo præcipuus vertetur disputationis præsentis cardo, manum admoveamus, non adeò operæ nos dispendium esse facturos oppidò speram⁹, si de S. Sancto Baptifmatis lavacro in genere quædam hîc loci, quæ instituto nostro haud importunè inservire videbuntur, *ὡς ἐν παρόδῳ*, quòd dicitur, priùs delibaverimus. Atq; istud primùm Præsumimus extra omnem dubitationis apud *γνησίως* Christianos positum esse aleam, quòd inter Novi Fæderis Sacramenta, in sensu proprio ac orthodoxo accepta, primo habeatur loco sacratissimus regenerationis nostræ fons, Baptifmus, cujus in sacris Pandectis egregia passim existant æquipollentia ex amissim nomina, ut quandò in ep: Paulinis *τὸ λελῆθὲν τῶ ὕδατι ἐν ῥήματι*, lavacrum aquæ in verbo Eph. 5. v. 26, *τὸ παλγγενεσιὰς λελῆθὲν* regenerationis lavacrum Tit. 3. v. 5. & in ep: Petri 1. c. 3. v. 21. *τῆς συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα* bonæ conscientiæ stipulatio s. interrogatio, à Spiritu ipso Sancto verè salutatur. II. Nec

II. Nec enim verò Baptisma hoc nostrum nudo alicui homini vel Johanni, vel Petro, vel Philippo, vel aliis, Numine Sacro agitatis viris sua debet incunabula, cum nulla aliàs creatura Sacramentum a-liquod instituere integrum habeat, d. DEO Ter. Opt: Maximo soli illa meritò potestas propria asserenda veniat, cujus quidem rei ratio haud longiùs arcessenda sed in promptu est; *is quippè, qui media gra-  
tia instituit, potens etiam fiet necessum est istam gratiam per externa ejus-  
modi media dare atq; conferre.* At verò nemo nisi solus Deus gratiam justi-  
ficationis ac regenerationis dare novit. Ergò etiam ipsius solig est *media  
gratia s. Sacramenta instituere*, uti haud malè colligit Scholasticorum Princeps Thomas p. 3. quæst. 64. art. 3. judiciù ferèté cõsumatissimo The-  
ologo B. Gerharo disp. Acadè. de Gloriâ DEI disp. 3. §. 1. id quod et cù cæteris Evāgelicis Doctoribus apprimè docet desideratissimū illud Saxonix lumè B. Hulfemān9 in Breviario Theologico Extēso c. 10. th. 5. p. 140. Et verò licèt Johannes, quo certè nullus, attestante Servato-  
re nostro Luc. 7. 28, excellentior ex mulieribus natus exstitit Propheta, primus omnium videatur fuisse, qui ritum hunc baptizandi antea in-  
auditum in terrâ palæstinâ invenerit, Evangelista tamen Lucas veri-  
orem hujus nobis rationem reliquit, quando in enarrat: suarum E-  
vang. capite 3. verbum Domini priùs ad illum tùm de baptismo hoc administrando, tùm de prædicando factum in deserto esse comme-  
minit, ut hinc ille non tam autor, quàm minister Baptismatis dici mereatur.

III. Istud autem præterea hîc observandum erit, quòd Sacramen-  
tam hoc certis locorum ac temporum limitibus in N. T. circumscribi nequeat, sed inter ea universalia ecclesiæ *κειμήλια*, quæ ad seculorum consummationem stabunt ac permanebunt, numerari suo merito poscat. Nequaquam igitur nostram mentem attemperamus placitis Photinianorum, qui in catech: suo Racov: p. 252. pro certo quasi supponunt, *Baptismum duntaxat externam fuisse primitivæ Ecclesiæ ceremoniam, quâ illi, qui Christo dedissent nomina, hoc externo gnoris-  
mate suam à Judaismo & Ethnicismo secessionem declamarent publicè.* Verum enim verò jam pridem in Ecclesiâ explosionem experta hæc erronea sententia est, atq; contraria ex Matthæo & Marco solidioribus rationum momentis probata. Antè quidem passionis & resur-  
rectionis ultima fata discipulis & Apostolis suis id dederat in manda-  
tis

tis Christus Salvator, ut in viam gentium ne abirent Matth. 10. 5, h. e. neq; prædicando, neq; baptizando cuiquam, præter Israelitas, ad tempus gratificarentur; at post gloriosam Redemptoris nostri resurrectionem, particulare hoc mandatum diem suum mox vidit novissimum, quando eosdem Apostolos nec non legitimos eorum successores omnes Christus iussit baptizare quasvis sub omni sole creaturas rationales in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti Matt. 28. Marc. 16.

IV. Cæterum hunc Baptismum non meram ac inanem ceremoniam, sed efficacissimum regenerationis esse mediū credimus, per quod Deus supernaturali, & nobis haud satis liquidò modò, gratiam ac salutē æternam dispensare, hominibus eo legitimè & integrè utentibus, ordinariè constituit. Quod dum asserimus, detestamur verò iterum blasphemam & execrandam Socinianorum doctrinam, qui in catech. antea citato p. 226. *graviter eos errare, pronunciant, qui per externum opus Baptismi homines regenerari censent, idololatricum enim esse, clamant, tribuere rei materiali id, quod soli DEO competit.* Verum enim verò dum alios isti maleferiati erroris arguunt, ipsi met errore se implicant longè gravissimo. Ecquis autem unquam nostrum existimavit per externum opus baptismi, quatenus externum opus, absolutè & nullo respectu habito ad verbum Dei homines regenerari? nos potius aquam Baptismi organum s. instrumentum esse Spiritus S., quo ille tanquam causa efficiens in ipso actu Baptismi, mediante verbo suo, regenerationem ac salutem, in baptizatis efficiat ac operetur, censem ex sacris literis atq; hætenus defendimus.

V. Neq; interea tamen Pontificiorum velificamur aut assurgimus sententiæ falsissimæ, quâ communiter adversus nos disputant, Baptismum, sicut alià Sacramenta quoq; *ex opere operato* (quemadmodum in hoc negotio non solum ipsis pessimè sentire, d. etiam barbarè loqui placet) *hominibus conferre gratiam & dona divina, quibus formalitèr coram DEO justificentur ac regenerentur;* verum hoc dogma plurimis errorum monstris est oportunum, cum potissimum exinde sequi videatur, fidem, sine quâ verò, tantum abest, ut Sacramentum aliquod profit, ut potius utentibus obsit, ad spiritualem ac internum Baptismi usum percipiendum non adeò requiri, quam tamen Christus Sacramentorum N. T. *ἄρχος* gloriosus ac ter benedictus, ut nihil jam dicam de altero N. Instrumenti Sacramento, expressè, de fructu Baptismi differens Marc. 16. indigitat.

VI. Q

VI. Omnium autem minus Calvinianorum heterodoxia accedimus, aut minimum favemus. Quantum n. illi Sacramentis omnibus in genere tribuant, edisserat nobis vice omnium Tossanus lib: contra Marbach: cujus verba ipsa audire non pigebit, *falsò*, inquit ipse falsissimus, *à nobis doceri, quod Sacramenta N. Testamenti ideò sint à Deo instituta, ut essent medià s. instrumenta, per quæ Christum cum remissione peccatorum, accipiamus. Sacramenta enim illa, subiicit, non habere in se verà thesauros & caelestia bona, quasi per illa nobis donetur remissio, d. tantum esse signa fœderis.* Neq; aliter de Baptismo in specie hæretici illi statuunt, quando quidem os illud omnium Calvinianorum Beza in colloq. Mompolg. p. 34. *regenerationem & salutem nostram à Baptismo nullo modo pendere* asseruit publicè. Verùm hic error haud ex levissimis sanè est; quippe qui multis modis in primam intentionem, ordinationem ac voluntatem auctoris Sacramentotum omnipotentis, omni sapientis & veracissimi *θεανδρώπης* nostri impingit, atq; deinde quoq; evidentissimis Scripturæ Sacræ oraculis è diametro contravenit. In Baptismo enim, si renascimur ex aquâ & Spiritu, & hoc modo ingredimur in vltam æternam Joh. 3, v. 5. Si baptizamur in nomine Jesu Christi ad remissionem peccatorum Act. 2. 38, Si per fidem deniq; in Baptismo salvamur Marc. 16. 16, mirum omninò videri poterat, homines tamen tam perfrictæ frontis adhuc reperiri, qui ne minimum fonti huic sacratissimo faciendo reliquum, labia in cœlum quasi ponere, & Spiritui ipsi S. per ejusmodi dicta verè nobiscum loquenti oblequi ac in faciem, quòd dicitur, contradicere non erubescunt. Verùm ità conclamata hæc eorum vesania jam pridem est, ut meliorem mentem iis optare, vix autem ac ne vix quidem, durante istia eorum malitiosâ pervicaciâ ac pervicaci malitiâ, sperare liceat.

VIII. Atquî has hætenus diversas diversorum hæreticorum sententias circa Baptismatis mysterium adducere, nec sine gravi ratione, libuit, non quidem quòd de iis ex professo nunc agere animus noster fuerit, sed quòd lucem futuræ nostræ tractationi earum recensione ac rejectione affundi posse conjecerimus. Nequaquam enim ea nostræ intentionis fuit summa, præsentî hæc disputatione elevare vel Baptismi divinam auctoritatem, vel ordinariam necessitatem, vel denique in operando efficacitatem, sed his omnibus salvis existentibus, anquirere

rere, utrum tamen infantes sine hoc, in casu puræ privationis aut moralis impossibilitatis decedentes, salvari adhuc possint?

SECTIO II. *κατασκευαστική.*

VIII. Nunc propiùs itaq; in causæ ipsius arcem invadere juvat. Scilicet de infantum sine Baptismate decedentium salute quando disquirimus, quos aut quales nomine istorum indigitemus, non abs re aliquis querere ex nobis instet. Non verò nobis sermonem respondemus esse de istiusmodi infantulis ex Christiano thoro profeminatis, qui, antequam plenè & perfectè cum omnibus partibus essentialibus ex utero matris in hanc lucem emerferint, casu quodam inauspicato in ipso partu extinguuntur, aut jam antè emortui sunt, quod interdum accidere ità, testis esse experientia potest. Equidem quamvis iisdem priùs denasci, quàm nasci, & renasci ordinariè contingat, non tamen adeò rigidi sumus censores, ut omnem iis etiam salutis æternæ spem reseceamus, cujus & hæctenus nullam satis gravem causam habemus, cum nullius transgressionis vel contemptus mandati & ordinationis divinæ jure innocentes illi accusari queant, præter enim omne eorum meritum, quicquid hujus evenit, evenisse putandum est, interim precibus nostris ad DEUM effusis eorum salutem salutis nostræ unico auctori commendamus, qui etiam immediatè fidem ac salutem operari in iisdem potest. vid. B. Forsterus in Thesau- ro Catech. De Baptismo Decad. 4. probl. 9. §. 51. seq.

IX. Nec prætereà disquiremus nunc, quis eorum infantum, qui extra Reipublicæ Christianæ territoria nascuntur, ac denascuntur statim absq; Baptismo, futurus sit Post hanc vitam status? illos enim qui foris sunt, quid mea refert judicare, præstat hinc ingeminare, cum Gentium Doctore ex 1. Cor. 5. 12. Quanquam enim à quibusdam causa eorum in utramq; partem disceptatur, aliis rationes pro ipsorum salute afferentibus, aliis contra eorundem salutem pugnantibus, de quibus conferri meretur B. Dn. D. Meisnerus in Anthropol. sacrâ Decad. 1. Disp. 7. Quæst. 2, illud tamen τὸ ἐπέχειν hinc præferimus, quod præter laudatum Meisnerum suo exemplo nobis commendat, Excellentissimus Daniæ Theologus D. Brochmandus System. Theolog. L. de Peccato quæst. 16. verum enim verò de illorum imprimis infantum Salute solliciti impræsentiarum sumus, qui, postquam ex Christianorum thalamo prognati vitales haurire auras vix dum



dum cæperunt, repentino mortis genere præventi, ordinario regenerationis ac salutis medio Baptismo, nulla quidem suâ culpâ, sed externo fati quodam momento excidunt, quos equidem, si præsertim non appareat contemptus ulla ratio, aut occasionum quarumvis Baptismati impertiendo opportunarum voluntaria è manibus dimissio, nequaquam à vitæ æternæ consortio relegare possumus.

X. Etsi verò istud dissimulare non debemus, Baptismi magnam in Ecclesiâ esse necessitatem, & tantam penè, quàm quæ est maxima, cum scilicet *Sacramentum initiationis*, *N. T. æt. Juev. prima porta gratiæ, Christianismi investitura* & sit & ab antiquis quibusdam Patribus verè ita indigetur, cujus certè quoad necessitatis gradum eandem minimè ineundam esse rationem cum altero N. Instrumenti, quod Confirmationis nomen tulit, Sacramento, ecquis non confestim, quî fundamentum salutis nostræ paulò intimiùs introspexit, deprehendit? Nam licèt in plurimis hæc duo prorsus coincidunt N. Fæderis Sacramenta, utpote quòd unum eundemq; agnoscunt autorem, DEUM in secula benedictum, deinde quòd duabus conficiuntur rebus substantialibus, unâ quidem terrenâ, alterâ cœlesti & spirituali, interim tamen pari omninò necessitatis lege in Ecclesiâ neutiquam gaudent hætenus illa, cum Baptismus quidem omnibus & singulis, ordinarium salvationis modum si velint aliàs & possint assequi, oppidò sit necessarius, quod verò de Sacramento Eucharistiæ adeò asseri non potest. Licèt enim nec ipsum suâ defraudandum necessitate sit, quam obtinet partim à mandato Christi partim à ratione mediatrice applicandæ ac obsignandæ salutis, tamen ea non est tanta, ut sine Sacramentali ejusdem esu ac usu salvari ordinarie nemo queat, quoniam isto deficiente spiritualis esus & usus per fidem vel sufficere potest, juxta tritissimum haud minus quàm verissimum Augustini, Crede & manducasti, aphorismum.

XI. Quanquam itaq; Baptismi in contentione ad Sacramentum Cænæ major quædam necessitas omninò sit, non tamen ea est absoluta, verum certis limitibus determinata, ita ut sicubi quis defectus Baptismi per conditionem puræ privationis aut impossibilitatis incidit aliquando, DEUS eundem extraordinariâ quadam ac immediatâ salutis operatione compensare adhuc possit. Equidem DEUS gloriolus noster Baptismum, tanquam salutis primarium facile medium

B

sapient-

sapienter ordlnavit atq; hominibus promulgavit, à quâ ordinatione vel quicquam recedere summa omnibus debet esse religio; cæterum tamen non eâ fine id fecit, ut mortales exinde ansam arriperent circumscribendi atq; in angustias quasi cogendi ejusdem omnipotentem sapientiam & omnisapientem potentiam, ac si eidem nullus alius salvationis modus vel possibilis vel facilis fuerit præter ordinarium Baptismi mediũ. Is enim, in cujus oculis non est difficile, quod videtur in oculis nostris Zach. 8. v. 6. qui potens est facere superabundantè, quàm petimus aut intelligimus, Eph. 3. 20. cum præterea sit agens liberrimum Ps. 115. 3. quidni posset modum alium salutis conferendæ reperire extra visibilem illum & externum? *Abierunt à condito mundo bis mille quadraginta octo anni, inquit ex vero B. Meisnerus Antropol. sacrâ Decad. I. Disp. 7. quæst. 1. usq; ad 99. ætatis Abrahami, quo tempore omnes fideles sine circumcissione & Baptismo salvati sunt. Ita etiam femella omnes sine externo, medio vel Sacramento initiationis (nulum enim Scriptura exprimit) salvatæ putantur.* Quæ cum ita sint, quis ergò infantibus Christianorum istiusmodi, quibus ante Baptismum animas mors præmatura, DEO volente, eripuit, omnem salutis spem denegaret prorsus?

XII. Præsupponimus verò, ipsis integrum non fuisse periculum quendam inevitabilis necessitatis, quò ordinariè ex aquâ & spiritu renascerentur; Scilicet aut fuit eo tempore ac loco inusitata penuria aquæ, absq; quâ vero Baptismus administrari nec potest nec debet, cum sit altera pars substantialis Sacramenti, circa quam nemini dispensare aliter licet, aut omnis copia Sacerdotis, tanquam ministri ordinarii hujus mysterii defuit, aut ne quidem laicus ac persona aliàs privata, qui in summo necessitatis casu illius vicem suppleret, adfuit, si sic infans recens natus non sine arbitrio illius, qui omnium hominum dies vitæ ac horas in numerato habet, decesserit, ex hac vitâ absq; Baptismo, quid de ejus salute verò statuendum erit?

XIII. Existimamus autem omninò, nudam carentiam Sacramenti istiusmodi infantis salutem nequiquam fraudi futuram esse, sed optima potiùs ominamur de ejus æternâ salute, quam DEUS virtute, non solum mediata, sed quandoq; etiam immediata, modo non solum ordinario, sed etiam extraordinario, si quando hoc ipsum usu venit

venit, ut juxta illum semper procedere in manu hominis minimè sit, efficere ac dispensare solus novit.

XIV. Non igitur hujus generis infantes per antea enumeratos vel alios etiam, qui his æquiparari possunt, casus ab ordinario regenerationis medio Baptismo deserti extra regni cælorum confinia, constituendi ac planè proscribendi sunt, præsertim, cum penes eos nihil resederit culpæ hactenus, quòd Baptismi in hujusmodi casibus haud fuerint facti compotes: Age, sit ita, secludantur hi liberi Christianorum parentum aliquando à Baptismo, sive quodam externo casu sive alio infortunio, ita tamen, ne vel ex parentum ipsorum parte hoc in negotio quicquam desiderari possit; officii enim sui vel neglecti vel haud magnùm estimati, quemadmodùm rationes postulati reddere sustineant coram justissimo Dei tribunali, viderint olim ipsi, secludantur, inquã, iis modis illi à Baptismo, num quid verò sine discrimine eos à salutis æternæ aditu seclusos esse prorsus judicas? Sic certè judicii sui sanctissimi sententiam præcipitare, quam quidem tu, ô homo, quisquis es, æquissimus omnium controversiarum arbiter Deus Optimus Max: nescit. Atq; in eo jam pridem tibi præiit promissione sua certissimâ, quam fecit sanctissimè & tuo & seminis tui nomini Gen. 17. v. 17. quæ ipsa, cum non ultimum sententiæ nostræ fundamentum suppeditare videatur, accuratiùs aliquantum ruminanda erit.

XV. Tam verò patet ea latissimè, ut, licet Abrahamo soli dicta ejusq; semini videri possit, sub suo tamen ambitu æquè omnes Christianos eorumq; liberos verè complectatur, explicante id Apostolo Rom. 4. 17. & affirmante Pet. Act. 2. 39. Atq; hinc ita inferre libet cum B. Meisla. c. *Quicumq; non resistunt actualiter, illorum DEUS vult esse Deus, vi promissionis fæderalis. At verò infantes fidelium actualiter non resistunt. E, illorum DEUS vult esse DEUS. Porro verò: Quorum DEUS est DEUS, illi vivunt nec aternùm mori possunt*: Cujus quidem propositionis nervus patet ex disputatione Christi contra Saducæos Matth. 22. v. 31. 32. *Omniùm autem infantum ex fidelibus natorum, DEUS est DEUS. E. omnes infantes fidelium vivunt, nec aternùm mori possunt, & per consequentiã illi etiam, qui ob casum necessitatis à Baptismo excluduntur.* Atq; hæc quidem suo stant talo. Videtur tamen adhuc illud desiderari posse circa hanc sententiam, quòd promissionis illius

Catholica Gen. 17. fundatæ actualis *ἐνέργεια* demùm conjuncta sit  
cum conditione impletæ ordinationis divinæ, quæ cum observari  
minùs potuerit ab infantibus ejusmodi ante Sacramentum Circum-  
sionis vel Baptismum defunctis, neq; illius fructum ipsis sperandum  
esse; verùm ad hoc facilis est responsio, si modò distinxerimus inter  
rem promissam & diversum illius applicationis modum, qui vel or-  
dinarius vel extraordinarius esse potest. A qui ordinarius quidem  
extra casum necessitatis semper obtinebat, ita ut nemini integrum  
esset ab eo recedere, interim verò, si iste conjunctus erat cum hy-  
pothesi inevitabilis impossibilitatis, DEUS hunc salutis ac regene-  
rationis effectum non adeò præcisè ab eo suspenderit, ut potius vis  
illius promissionis intrinseca immediato quodam modo prævaleret  
priùs, quàm ut suo proprio effecto à DEO intento frustraretur ista.  
Quomodo non staret suo promisso DEUS veracissimus? compensa-  
ret potius hujusmodi defectum Sacramenti merè privativum extra-  
ordinariâ quâdam viâ, quàm ut promissionis suæ illum oblivio aut  
pænitudo caperet. Atq; hoc intelligim; evidentius adhuc in infanti-  
bus famellis, quæ & ipsæ veniebant omninò nomine seminis istius,  
cui illa quidem promissio contigit. Et verò licet in his ordinarius il-  
le applicandi rem promissam modus nihil aut posset aut ne deberet  
quidem ex instituto DEI, nihil omninus tamen illa promissa ipsis sar-  
ta tecta manebat, ita ut eas in infantili ætate decedentes vis illius  
promissionis immediatè attingeret, atq; intentio DEI salvos face-  
ret. Quidni idem faceret cum aliis filiis promissionis extra reatum  
contemptus quidem positus, sed Ordinariâ Sacramenti applicatione  
destitutis? minimè vero permittet, ut promissionis suæ vis circa eos-  
dem marcescat aut ullo modo periclitetur. Atq; hæc hæctenus dicta  
militant pari ratione in N. Testamento quoq; , nisi promissionem il-  
lam, de quâ ista differimus, angustiorem V. Testamenti terminis  
coarctare contra intentionem DEI voluerimus. Ut alia prætereamus,  
denique adhuc istud circa præsentem promissionem breviter mo-  
nemus, sc. haud est, ut quis obvertere velit nostræ explicationi,  
videri potius hanc promissionem intelligendam esse de fœderis cu-  
jusdam externâ quâdam prærogativâ, minimè communi Abrahami-  
tico semini cum reliquis gentibus, iste verò non adeò assequi hujus  
promissi-

promissionis 'sensum profundiorē' videtur. Quanquam enim & illam in hâc suo modo indigitari assentimur, interim quòd ea sola sit, quæ promissionis hujus totam formalitatem absolvat, id autem omninò negamus, quoniam non tam præcipuè externa, quàm interna regenerationis ac gratiæ æternæ beneficia eâdem promitti facile intelligimus.

XVI, Atq; hæc quidem illius promissionis est emphasis, quam prolixiusculè aliquantum, sed non impertinenter hîc indagavimus. Confirmamus autè porrò eandem ab argumento misericordiæ divine, cujus quidem tanta est intensio & amplitudo, ut per eam salutem stiusmodi parvulorum non modò sperare sed & confidere habeamus. Atqui suam hanc non intestatam reliquit D E U S Optimus Maximus misericordiam, sed aliquoties dictis, factis, exemplis, oppidò comprobata dedit, ut dubitare adhuc de eâ non nisi extremæ malitiæ, imo summæ ingritudinis sit. Quis igitur tam alienus ab omni misericordiæ sensu esset, qui eâdem excluderet infantulos ejusmodi innocentes ante Baptismum fato suo functos? Ea potius ipsius communissima universalitas est, ut durare à generatione ad generationem verè prædicetur Luc. 1. 50. Quòd si verò à generatione ad generationem sese porrigit, quidni etiam sese porrigeret ad generationes Christianorū ac fidelium? Neq; cum eâ ita comparatum est, ut quenquam hominum vel prætereat, vel negligat, vel in peccatis relinquat, hoc formalem ipsius essentiam planè destruit, quam verò fortiùs adstruit sacra Dei litera, quando DEUM omnes conclusisse sub peccatum attestatur, ut omnium miseretur, Rom. 11. 23. Si verò DEUS eorum omnium miseretur actu, quos in genere humano conclusit sub peccatum, utiq; hinc ἀνεταπείρωτος certi reddimur, eundem infantum etiam nostrorum & posse & velle misereri, illos enim ab eorum censu, qui hîc sub peccatum conclusi esse dicuntur, minimè eximit sacra pagina, sed potius includit, quippe & quorum figmentum cordis tantum pravum esse à teneris Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 11. adferit, quosq; in peccatis ex immundo femine conceptos esse probat, Ps. 51. v. 7. ideoq; si quisquam alius, hi maximè opus habituri erant actuali miseratione Dei, ab eâdem verò quisquis eos excluderis, vide, ut ne eorum quoq; numero eosdem excludas, quos D E U S quidem sub peccatum conclusit.

B 3

XVII, Quod

XVII. Quòd si autem quis desideret applicationem fiducialem hujus divinæ misericordiæ in infantibus hujusmodi, utpotè sine quâ nullus ejusdem nobis usus est, & eam suggerit Spiritus Sancti gratia tenellis illis corculis, quamvis modo nobis impervestigabili ac inusitato. Licèt enim non eo modo, quo in adultioribus utitur, operetur in infantibus fidem, quæ nihil quidem aliud est, quam fiducialis applicatio misericordiæ divinæ Christi merito fundatæ ac stipatæ; quippe ipsi nequeunt hætenus per judicij discretivi immaturitatem, principium fidei ordinarium, quod est verbum Dei Rom. 10. 14. sequi atq; ex eo fiduciam haurire, quemadmodum quidem iis in adultâ mægis & usui rationis proximiori ætate id injunctum promiscuè est, interim si ordinariâ isthæc viâ non procedit cum illis parvulis, numquid ipsi defuturus erat omnis alius salvandi modus, extraordinarius etiam? Quanquam enim haud temètre ab ordinariâ viâ recedit, minimè tamen eos sibi mer ipsi limites ejus fixit, ac si planè omnem facultatem suam eidem alligarit, ut in nemine unquam extraordinariè salutis rationem efficere vel possit vel velit, hoc enim cum arbitrii ipsius liberrimâ libertate stare nescit; hinc & in istis infantibus Christianorum, qui ordinariæ viæ insistendæ nondum ad eò capaces ex antea enumeratis causis sunt, extraordinariâ DEUM suâ methodo uti non dubitamus, ita ut in eorum cordibus, fidei facultatem per internam quandam prædicationem Spiritus Sancti excitet, atq; ope ejus misericordiæ suæ participes eos reddat.

XVIII. Atq; ex his liquet jam, quòd, quando asserimus infantes illos extraordinariè sine Baptismi medio salvari, minimè simul probemus, eos sine fide salvari prorsus; Non enim par est ratio fidei, & organi externi Baptismi, quo ordinariè accenditur ista fides, ista absolutè necessaria est, hoc verò non item. Distingvendum itaque omninò est inter causam salutis immediatam quæ est fides, sine quâ impossibile esse existimatur, DEO placere Ebr. 11. 6. multò magis salvari, & causam mediatam, quæ absolvitur ordinariè verbo vel visibili, Sacramentis, vel audibili, verbo prædicato, ex quibus postmodum conficitur fides. Hæc quandoq; deficere potest in casu summæ necessitatis, illa verò non ita, quod tacitè quoq; innuisse videtur ipse Salvator noster verbis

bis ultimis suæ institutionis Marc. 16. 16. Postquàm enim in thesi dixerat priùs; *Quicumq; credit, & baptizatur, salvabitur*, mòx in antithesi subjicit: *Qui non credit, condemnabitur*, omisso videlicet de industriâ vocabulo baptizandi, ut videtur, ut insinuaret non esse eandem utriusq; rationem ad salvationem l. damnationem, sed fidem causam salutis immediatam sufficere omninò ad salutem, licet casus necessitatis excluderet mediatam, Baptismum. Quòd si verò præter hanc neque illa adsit, nihil quàm certissimam condemnationem sequi è contrario docet. vid. B. D. Fewrbornius Syntagm. II. S. D. squis. Diss. 7. §. 30.

XIX. Prætereà accedit ad hæc suffragium Christi Salvatoris, quando Matth. 18. 14. sanctissimè præcipit, non esse voluntatem Patris sui in cœlis, ut unus ex istis pusillis pereat. Quibus verbis meritò inducimur, ut credamus, tantam DEUM illorum pectore, versare curam, ut ad eò nullâ re quàm ipsorum salute delectetur, hinc modis omnibus illam quoq; procurabit, neq; contra voluntatis suæ intentionem rem secùs evenire patietur. Nec est, ut quis hîc excipere velit, DEUM quidè m velle omnium salutem 1. Tim. 2. 4, nec tamèn omnes actu salvare; at si inquirimus hujus perditionis causam, non illam certè in DEI voluntate sitam esse deprehendimus, sed in hominum potiùs finalitèr contumaci resistentiâ, quæ cum non cadat hætenùs in nostros infantes, neq; contra voluntatem perditioni æternæ eos involvit, quin potiùs proptèr significationem voluntatis suæ absq; impedimento, cujus nullum illi objicere queunt, opus suum in his exequitur & salutem operatur. Neq; vero obverti hîc potest peccatum originale, & dici, quod illud damnationem afferat ejusmodi infantibus. Licèt enim illud ratione meriti omninò condemnationis æternæ causa esse queat, interim ratione judicii, & executionis, neminem immediatè damnat, aliàs omnes in universum homines, quorum neuter eo caret, iccirco damnarentur, cum potiùs hodiè sola incredulitas damnationis causa formalis sit, ita ut saltem materialitèr societatem causæ damnationis ingrediatur ipsum peccatum. Non enim amplius tam propter peccatù homines flammis inferni ad dicentur, quàm propter meritù Christi, quo pro peccatis ipsorum omnibus jam satisfactum est, non applicationem ac voluntariam obstinatam rejectionem,

nem, quemadmodum accuratè suo more explicat B.D. Meisnerus in Anthropol. Sac. Disp. 29. §. 45. Atq; hinc inferimus, quoniam infantes illi affectatâ hâc incredulitate minùs laborant, neq; nudam peccati originalis positionem formalitèr ac immediatè ipsis æterni exitii causam fore, non quidem per se, sed propter meritariam Christi pro eodem satisfactionem, & veram, nobis tamen incognitam applicationem, per quam damnationis suæ vim ipsi exere hactenus minimè licet.

XX. Atq; hæc quidem hactenus pro salute infantum nostrorum consulere in medium habuimus. Cæterùm adhuc alia ad manum nobis sunt documenta quibus sententiæ nostræ veritas confirmari atq; stabiliri posse oppidè videtur. Quando videlicet in parentes undiquaq; literarum sacrarum campos oculos inferimus, non deesse exempla extraordinariæ ejusmodi dispensationis divinæ circa salutis negotium, quâ quidam aliquando sine Sacramenti usu nihilominus salvati æternùm fuerunt, respicimus. Exordium in eorum enumeratione accersimus meritò ab Israelitarum per quadraginta annos in deserto oberrantium infantibus, quorum certè intra modò indigitatum spacium Circumcisionis Sacramento initiatum fuisse neminem, patet equidem ex lib. Josuæ c. 5. v. 5. Quòd si verò pleriq; ex illis, uti vix ullum dubium esse potest, in vivis, antequàm inculta ista locorum patres emensi fuerint, desierunt esse, ecquid de ipsis statuendum? num sicut morte temporali, itâ & æternâ illos interiisse judicabimus? Vix salvâ DEI Optimi Max veritate ac bonitate id hactenus fecerimus. At verò excipiat hîc fortè quis, exemplum hoc esse ἀπεργασίον σου, cum magna omninò sit dissimilitudo Circumcisionis in V. & Baptismi in N. Testamento, quam ipsam sicuti suo quoq; relinquimus loco, ita tantam ipsis intercedere disparitatem, ut nullâ prorsus ratione sese respiciant, hoc verò est, quòd meritò pernegamus. Præter enim unum eundemq; autorem agnoscunt etiam finis ultimati identitatem, qui illinc erat in fœdus DEI receptio atq; regeneratio, quæ per circumcisionem, tanquam medium ordinarium, ordinariè conferebatur, & verò hinc quoad regenerationem inq; DEI fœdus receptionem ordinariam nulla equidem apparet diversitas, nisi forte aliquid intercurreret discrimen



discriminis in circumstantiis circa applicationem istorum medi-  
orum ad finem hunc unum eundemq; consequendum. Si vel  
nihil aliud, hoc certè unicm ad præsentem causam sufficere no-  
bis poterat, quòd Baptismus noster in locum circumcisionis suc-  
cesserit mox sub auspiciâ primitivæ Apostolicæ Ecclesiæ, decer-  
nente Paulo Coloss. 2. 11. atqui exinde illud deducimus, quod in-  
fantibus nostris, ob denegatum in summo impossibilitatis articulo  
Baptismum, omnis ad vitam æternam aditus, quemadmodum nec  
iis olim in V.T. ante octavum Circumcisionis diem, diem suum su-  
preum obeuntibus, præcludi prorsus non possit aut debeat. In-  
geminamus potius hîc illam cedro dignam antiquitatis sententi-  
am: *Non privatio, sed contemptus Sacramenti damnat.*

XXI. Et sic huc quoq; non intempestivè retulerimus exem-  
plum filioli Davidis ex Batsebâ suscepti, quod legimus 2. Sam. 12.  
18. de cujus ante octavam lucem ac ità sine Circumcisionis Sacra-  
mento denati salute tamen æternâ haud facilè quispiam dubitave-  
rit, quem aliàs adhuc movet heroica illa oratio tanto Rege pror-  
sus digna, quando funeri Sobolis charissimæ parentaturus Pater  
Regius in hæc desinit verba: Numquid lacrymis meis aut jejuni-  
is eum revocabo? Migrabo ad illum ego, si quidem ille meus fi-  
lius non revertetur ad me. Quid? num virum hunc secundum  
cor Dei migrare desiderasse aut aliquando migrasse ad sedes da-  
mnatorum infernales dicemus? Minimè id verò ex vero. Quæ  
cum ità sint, hunc etiam ejusdem natum, licet incircumcisum,  
damnatum tamen esse nulli auguramur, sed potius eundem salva-  
tum extraordinariè sine Sacramento præsumimus, id quod nunc  
etiam ad *ἀϊνον* præsens de infantibus nostris accommodari ex asse  
potest, imò debet. vid. nostræ ætatis Theologus eminentissimus  
Dn. D. Calovius in *Matæologiâ Papisticâ* Sect. III. de Sacram.  
controverf. 3.

XXII. Quòd si verò quis adhuc acquiescere nolit his ex V.  
Testamento petitis exemplis & ejusmodi aliis, quæ paria depre-  
henduntur, partim Exodi 1. partim 1. Macchab. 7. 2. Macchab. 6. ubi  
sævitia Tyrannorum Pharaonis & Antiochi ante Circumcisionis  
Sacramentum plurimos Judæorum infantes sustulit quidem, quos  
tamen martyrii candidatos haud facilè quis damnaverit, cui, in-  
quam

quam, ejusmodi nondum satisfaciunt, cum eo progredimur in  
N. Testamenti seculum, neq; ubi desiderare habemus ad sententi-  
am nostram confirmandam momenta. Agite, lustremus nunc  
imprimis exemplum unicum maximè illustre, quod suppeditat  
nobis alter ille ad latus Christi Crucifixi pendulus latro, Luc. 23. 43.  
cujus certè de æternâ salute vel tantillum hæsitare omnibus reli-  
gio sit, cum audiamus eandem ab ipsâ veritate Christo his verbis:  
Hodie mecum eris in Paradyso; compromissam illi esse sanctissi-  
mè. Quid vero? num is, iccirco, quod sacro prius non esset tin-  
ctus fonte, premissionis hujus excidit eventu? Quæ foret, isthoc  
asserere, temeritudo, imò diffidentia cum majori impietate con-  
juncta? Si cui autem videtur hoc exemplum non adeo quadrare  
ad hanc nostram causam, utpotè quâ salus agitur infantum, cum  
quibus unius ejusdemq; exempli rationem haud sustineat ille la-  
tro, eò quòd constet istum fuisse jam adultum hominem, qui be-  
neficio auditus ex verbis & factis Christi fiduciam æternæ salutis  
facile potuerit concipere, cujus tamen longè alia sit in infantibus  
ratio, quibus isthâc viâ procedere non licet, cum nec sibi met ipsi  
consulere nec consulentem alium sequi, eò quòd rationis careant  
usu, valeant; verùm hæc nihil faciunt, quò minus sententiæ no-  
stræ robur suum exinde accedat. Etsi vero minimè negamus,  
conditionem ætatis in hoc exèmplo esse omninò disparem, inte-  
rim illa solùm non efficit, ut dispari quoq; Deus in iis salvandis u-  
tatur medio. Quin potius cum in hoc pares sint infantes nostri &  
ille latro, quòd ipsis utrinq; sine Baptismo moriendum fuerit, &  
verò Deus latronem tamen extraordinariè salvare & voluerit &  
potuerit, hinc concludimus, quòd Deus idem & nostros infantes,  
quos eadem fors Baptismo privavit, eodem modo ac velit ac possit  
facere salvos, cum sciamus, haud minores illum habere rationes  
salvandorum istiusmodi infantum, quam quidem illius latronis.  
Neq; sine ratione exemplum hoc allegavimus, habemus enim hic  
præ euntem S. Augustinum, qui hûc accommodat exemplum la-  
tronis sine Baptismo salvati l. 4. cont. Donat: c. 24. Tom. 7. col.  
433. quemadmodum id apprimè notat B. D. Dietericus in absolu-  
tissimis Instit. Catechet. (uti eas indigitat B. D. Micrælius Syntag.  
Hist. Eccles.) pag: 824. Neq; demùm negamus, singulare quid-  
piam

piam occurrere in hoc exemplo, quod haud temere trahendum ad universale, Sed hoc saltem exinde demonstrare volumus, infantes nostros, quatenus, quemadmodum ille latro, ordinario regenerationis medio potiri nequeunt per supra recensitas circumstantias, non minus quàm illum à Deo salvari, quo simul eorum sententiæ dicam scribimus, qui nullo id posse fieri modo alio quàm ordinario, persuasum habent.

XXIII. Præterea autem, si hîc quoq; Catechumenorum in veteri Ecclesia rationem aliquam habere velimus, haud leve sententia nostra momentum exinde persentiscet. Quorum quænam fuerit conditio in Ecclesiâ olim, optimè exponit præter Augustinum de fid: & Operibus c. 6. Tertullianus l. de Pænitent. c. 6, eruditè recensente Dn. D. Ægidio Strauchio Historico & Chronologo non è multis peculi. Dissertat. Historico. Theolog. de KATHXOUMENΩ. Si quando verò iidem ante Baptismi perceptionem legitimam decesserant, ita ut vel à Tyrannis ad supplicium postulati essent, vel alio quodam momentaneo fato extincti, tantùm aberat, ut Ecclesia de eorum salute æternâ desperaret, ut potius piis votis præsentissimam iis eandem præciperet, nec sanctorum confortio adscribere dubitaret, cujus in fidem advocare hîc breviter libet iudicium Ambrosii, quod piè & eleganter tulit de Valentiano mortuo, licet adhuc κατηχουμένω & ἀβαπτιστῶ: *Audi vi vos, inquit ad suos Medidanenses, in Orat: funebri de obitu Valentini: Imp: quæ exstat 3. Tom: op. ejusdem, dolere, quòd non acceperit Sacramentum Baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas & petitio? At què etiam dudum hoc votum habuit, ut antequàm in Italiam venisset, initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significavit. Et ideò præ cateris causis me accipiendum putavit. Non habet ergò gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? & quia poposcit, accepit. Et paulò pòst. Qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? aut si, quia solenniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet, ergo nec martyres, si Catechumeni fuerint, coronantur, non enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas &c.* Ex quibus jam patet, simile quid omninò esse habendum ac pronunciandum de similibus catechumenis, vel quorum

rum etiam Baptismum prævertit martyrium, *quod cum in oculis Domini habeatur pretiosum*, Ps. 116. 15. & ipsa quoq; salus æterna eos manebit pretiosissima. Quidnî idem statueremus de nostris infantibus. Licet autem pleriq; martyrio ejusmodi nobilitati hætenus non sint, neq; in catechumenorum in oculos externos incurrentium numerum relati, sufficit tamen, quòd martyrio Salvatoris tui Christi Jesu notati exultent, & in ipso Ecclesiæ gremio vivant aliquando. Quòd si verò istis morte inopinâ præreptis Baptismi copia fieri nequit, nulli tamen dubitamus de eorum salute, quemadmodum nec dubitavit olim antiqua Ecclesia de catechumenorum salute.

XXIV. Atq; hinc simul illud dispalescit, non de nihilo esse illud discrimen, quod nostrates semper observarunt, & adhuc observant, distinguendo nimirum *infantes Christianorum in Ecclesiâ & non Christianum extra Ecclesiam*. Qui licet eodem utrinq; peccati originalis ex primo homine in omnes redundantis contagio laborent ex æquo, adeò ut nihil verius sit illâ Apostoli sententiâ; *omnes eramus filij iræ naturâ, sicut & ceteri* Eph. 2. 3. interim verò in hoc, quòd illi intra Ecclesiam, hi vero extra eandem nascuntur ac denescuntur, magnam sanè differentiam esse, quis non oppidò intelligit? Nec tamen eò cum Calvinianis progredimur audaciæ, ut liberos fidelium s. Christianorum ab ipso matris utero sanctos promiscuè renuntiemus, atq; eo nomine plerosq; ex absoluto DEI decreto, sine Baptismo, etiam extra casum necessitatis salvari àfferamus, de quâ illorum heterodoxâ sententiâ infra agendi locus fortè dabitur; verùm hoc est, quod saltèm nunc volumus, quoniam infantes illi in utero adhuc jacentes per preces tum privatas parentum, tum publicas Ecclesiæ, DEO obluti ac commendati antea sunt, & verò eadem non possint esse inanes aut irritæ, hinc credimus, *DEUM, cujus natura est, ignoscere ac misereri, non duriorum esse in populi sui infantes, quos mors prævenit*, uti loquitur B. Lutherus in c. 17. Gen. Tom. 2. pag. 92. a. b. quin potius oblatione istâ, quæ facta est per preces, contentum fore, siquidem alteram illam oblationem per Baptismum casus necessitatis aut impossibilitatis intercluserit. Quemadmodum enim nequaquam aver-

faba-

fabatur istud infantum genus, quod pia quorundam oratio ipsi offerēbat, Marc. 10. 13, sed potius ex affectus sui excellenti abundantia in oscula illorum quasi ruebat, cum promissione salutis ipsis facta v. 14. ita ne nostros quidem adspēnabitur, si pravia parentum ac Ecclesie fidelis precatio hos ipsos eidem obtulerit, atque repulsam vitæ æternæ ac regni cœlorum nunquam patietur eos ferre. Atqui hinc ex verbis ejus pro talium salute argumentamur: *Quorumcunq; infantum oblatio DEO per preces facta est, talium est regnum cœlorum*, quæ nostra Major sibi constat ex loc. aleg. *Atqui nostrorum infantum oblatio DEO facta est per preces E. illorum quoq; est regnum cœlorum.* Facit huc præterea vis & efficaciam Sacræ Cœnæ etiam, quæ certè per fidem salutarem tanta est, ut intimè in totam hominis eadem utentis substantiam sese insinuet, quanquam supernaturali ac humanæ rationi tantum non incredibili modo; Et verò cum nostrorum infantum matres gravidæ esu ac usu divinissimi hujus epuli, participes quoq; ejusdem fuerint redditæ, tum quoad animum tum quoad corpus, quomodo non spiritualis illius efficaciam portio quædam in ipsum foetum uteri, tanquam partem hominis consubstantialem, exinde rediret?

XXV. Deniq; semper in memoriâ habenda est isthæc distinctio, quæ utramq; , quod dicitur, paginam in hoc negotio facit, quamq; nostrates Theologi, quoties in hanc controversiam incidunt, haud intempestive inculcant, quando distinguendum esse accuratè monent *inter viam ordinariam baptismationis, & casum extraordinarium privationis.* Quæ quidem distinctio ut ad naveam fermè nobis repetenda sit, facit illa adversariorum *russeia* & importunitas in pervertendo totius controversiæ statu, à quâ tamen omnis illius decisio facile dependet. Scilicet, si illa haberi possit, ingrediamur eam cum gratiis; quod si verò hanc casus aliquis privationis intercipiat, tum demum nos recipiamus ad extraordinariam DEI gratiam, per quam tam facile ipsi est salutem hominum curare, quàm per illam. Neq; tamen sententiæ huic nostræ magnum præjudicium hæctenus parit istud, quod DEUS in sacris literis certum ordinem prodidit, à quo in negotio salutis nos unice pendere velit, cui equidem & nos utraq; manu religiosè subscribimus, atq; nunquam, si in potestate nostra ille ordo sit, deserendum

dum multò minus contemnendum esse ultrò largimur, interim tamen, si usu aliquando veniat, ut amplius non sit integrum hominibus juxta ordinariam salvandi viam procedere, DEUM per extraordinariam quandam œconomiam salutem istorum & imprimis nostrorum infantum operari & posse & velle disputamus. Atq; hæc κατὰ σκευαστικῶς pro nostrâ quidem sententiâ adduxisse sufficiant. Sequuntur nunc

SECTIO III. & ultima, quæ est Ἀνασκευαστική.

XXVI. Ethactenus explicavimus ac confirmavimus orthodoxam sententiam hujus controversiæ prolixius aliquantum, sed de industriâ, quæ quidem intenuitatem nostram cadere potest; Persuasi enim sumus, theseos nostræ veritatem eâ ratione facilius posse stare ac firmius adversus Antitheseos falsitatem, quam imprimis hîc suam faciunt Pontificii pleriq;. Antequàm verò ipsorum hypotheses ac rationes adoriâmur, quibus sustentari vacillans ipsorum sententia aliquo modo videtur, descendamus interim in ipsorum castra, sententias Primipilorum super hoc negotio collectri. Sic enim erit, ut omnem injuriæ, quâ aliàs præter meritum se onerari à nostratib; homines illi ingeminant, suspicionem amoliamur. Atquî in hoc pleriq; fermè omnes conveniant, quòd infantes indistinctè omnes etiam ex Christianis parentibus natos & parentum atq; Ecclesiæ precibus DEO oblatos, si ante perceptum Baptismum hinc decedant, à regno cœlorum simpliciter & absolutè excludere præsumant, quòd ex ipsis eorundem verbis non obscuris deprehendimus. Ita enim Dodonæum illud omnium oraculum Bellarminus hanc eorum causam communem perorat, lib. 6. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 2, ut *tales parvulos mortis æternæ pœnâ dānandos esse* expressè cōtendat. Cū verò hoc nimis durius dictum videri possit, verba interim c. 4. mutat, ita tamen ut eandem mentem retineat, quando ibidem probare conatur, *illos non puniendos pœnâ sensus signis sensibilis*, hinc pergit errō ea sui animi sensa apertius explicare c. 6. quando ibidem disputat, *probabile esse, parvulos istos passuros interiorum animi dolorem, quamvis mitissimum, quòd scilicet intelligant se beatitudine privatos, à consortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detrusos & in tenebris perpetuis vitam acturos.* Quod verò ipsum, quid aliud est, nisi infantes ejusmodi prorsus damnare?

XXVII. Ne-

XXVII. Neq; abnuunt cæteri Romanensium huic sententiæ, quibus omnibus prævisse haud obscurè videtur Lombardus l. 4. Distinct. 1. lit. L. ubi hæc prodidit: *Si queritur de parvulis, qui ante diem octavum moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex lege, utrum salvarentur vel non? Idem potest responderi, quod sentitur de parvulis ante Baptismum defunctis, quos PERIRE constat.* Quibus quidem verbis eandem pœnæ rationem decernit & nostris ante Baptismum & infantibus Israelitarum ante circumcisionem demortuis. Accedit impium & satis temerarium Colloquii Ratisponensis suffragium, eo usq; etiam progredientis, ut asserere non dubitaret,  *catholicam esse fidem, quod ejusmodi infantes, qui sine Baptismate decedunt, non salventur.* Cum quo idem loqui & sentire videtur Dominicus à Soto l. 2. de nat. & grat. c. 10., ubi ait: *In Ecclesiâ Romanâ constitutissimum est, nullum parvulum absq; Baptismo in re (quam in voto habere non potest) intrare in regnum cælorum.* vid. Azorius lib. 2. instit. moral. c. 17., aliiq; ex Pontificiis, qui communissimæ huic sententiæ ex asse *ὁμολογητοῖ* deprehenduntur ad unum omnes.

XXVIII. Atq; huc pertinent etiam omnia ea, quæ de limbo infernali commentantur, imò suaviter nugantur Pontificii plerique, in quo quidem locum adsignant nostris infantibus. Scilicet plurimū adhuc videbatur deesse pessimæ ipsorū causæ, nisi errore errore cumulassent, rancidum illud limbi commentum etiā atque etiam interpolando & in ipsius Ecclesiæ medium proscænium protrudendo. Quòd si autem ad verbi divini infallibilem cynosuram hæc fabula, (quæ enim subterfugere possumus scapham scapham appellare) exigatur paulò accuratiùs, vanitas ejus nemini amplius erit obscura. Proferant nobis priùs tabulas ac literas sacras, quæ huic ipsorum figmento solidam fidem facere sustinent, & postmodum eant, nobisq; persuadere inducant, ut credamus infantes illos sine Baptismate decedentes in limbo suo ad luendam æternam pœnam damni asservari Sed ad Calendas græcas, si calculum aliàs rectè instituo, id fiet demum. Quin potiùs nobis, quibus antiquior ac major Scripturæ Sacræ quàm omnium traditionum Papalium autoritas esse consuevit, tam certum est, quàm

quàm certissimum, ne uno quidem apice in S. literarum sedibus illum vel leviter insinuari. Magna igitur nobis esto religio, aliquid extra vel citra Scripturæ fidem asserere, quod ad thesin nostrâ *Φυλάττειν* faciat. Quid? si vero Scripturæ ipsius ductum sequi velimus, sequi certè debemus, aliter & longè melius hæc de re nos informabit. Scilicet non semel inculcat, duo tantùm, non verò plura destinata esse animabus vinculis corporeis solutis loca, vel si *ἀκρίβειαν* sermonis sectari aliquo modo malimus, gemina distincta, eaq; immediate opposita πῦρ, alterum quidem beatorum, cœlum, damnatorum verò alterum, infernum, conf, Luc. 16. v. 22. 23. Matth. 25. 46. De limbo Papistarum altum ubiq; est silentium, tum in Scripturâ S, tum in canâ & sanâ antiquitate, ex quâ eminentem maximè unum Augustinum allegamus nunc saltem. Is autem nostram plane tenet mentem, his eam exponens verbis de verb. Apost. serm, 18. *Due post hauc vitam sunt habitationes tantùm, una in igne aeterno, altera in regno aeterno. Nec locus est medius, ut sit ponnis cum Diabolo, qui non est cum Christo*, graviter idem pronunciat l. 1. de remiss. pecc. c. 28. Cum itaq; hujusmodi Pontificiorum limbus sit merum non ens, hinc parùm vel nihil salutis ab eodem metuere habent nostri quidem infantes.

XXIX. At verò hæc hæctenus ludus & jocus videri poterant præ illis, quæ prodiderunt de Baptismi absolutâ necessitate, cui tanquam satis tuto fundamento superstruere pergunt totam suam sententiam de interitu aeterno nostrorum infantum. Quàm verò diu eandem mordicus retinent, idem est, ac si dicant, DEUM necessariò gratiam suam alligasse Baptismi Sacramento, ut nec possit nec velit citra illius usum extraordinariè quenquam salvare, quod ipsum quoque non dissimulat Thomas part. 3. quæst. 65, art 4. scribens: *Baptismum ad salutem esse necessarium necessitate simplici & absoluta*. Verùm nunc præter necessitatis rationem videtur diutius immorari huic destruendæ hypothese, cum illam operam jam tum occupaverimus suprâ th. XI. disput. nostræ, quæ omnia ruinam juvant Pontificiæ sententiæ. Nos ut jam verborum faciamus compendium, conferimus hîc consummatissimum judicium B. D. Gerhardi nostri, quod omnem adversariorum impetum facilè superare sustinet. Cæterùm



rum reliquit illud nobis in nervosis Disput. Academ. part. 2. Disp. 4. th. 1. ubi quidem ita inquit: *Ex parte nostrâ obligati sumus ad Baptismi susceptionem, sed DEUS suam gratiam & efficaciam non ita alligavit Baptismo, quin in casu privationis extraordinariè in infantibus ante Baptismum morientibus salutem operari & possit & velit.* Quæ verba Theologi eò firmiorem merentur assensum, cum invenerint jã pridem & adhuc inveniunt ex nostris haud imi cõmatis Theologos per omnia suffraganeos; vide B. D. Balduinum l. 2. c. 4. Cal. conscient. B. D. Franzium Disp. super Augustan. Confess. colleg. II. Disp. X. Quæst. 5. B. D. Rungium in Disp. Academ. Witteberg. disp. VI §. 148. B. D. Dorscheum Pentadecade Disput. IV. §. 22. nec non, qui adhuc in vivis est, & diu Ecclesiæ emolumento sit, Dn. D. Johannem Meisnerum Theologum accuratissimum Synopsi controvers. Antipapist. Disput. 20. th. 10. aliosq; , quos omnes tam diu Pontificiis opponimus, donec solidioribus rationum momentis ipsi eorum sententiam, quæ nostra quoq; est, refutabunt, quod eosdem tamen ne posse quidem certissimo omne præcipimus.

XXX. Neq; interim nostri minimum derogant suâ sententiâ Baptismi propriæ necessitati, quemadmodum quidem ea adversariorum frons est, ut haud obscure ejusdem nos insimulare soleant, contrarium enim etiam atq; etiam testantur scripta nostratum Symbolica tum privata; Instar omnium esse potest, quod Augustana Confess. rotundis & perspicuis verbis asserit, *Baptismum ad salutem esse necessarium*, à qua quidem sententiâ germani ac sinceri ejusdem Discipuli nunquam vel latum unguem recesserunt, neq; recedent impotterum, etiam si inficientur Pontificiis, eam Baptismi necessitatem esse prorsus absolutam. Hoc enim ipsis religio foret probare per ea, quæ suprâ dicta sunt; Facessant igitur Romanenses hâc nos prægravare suspicione, ac si omnem in Ecclesiis nostris sustulerimus Baptismi necessitatem. Negamus Baptismi necessitatem absolutam; Ergo ne negamus omnem omnino necessitatem? *A negatione aliâs unius certi modi, ad negationem omnis modi non equidem valere consequentia dicitur.* Eam itaq;  
D  
neces-

necessitatem, quæ mandati divini religiosâ observatione & ordinaria salvandi viâ terminatur, assertus licet istum, quem Pontificii fingunt, necessitatis modum, minimè verò probemus propter rationes suprâ allegatas.

XXXI. Necquicquam a, pro confirmandâ absolutâ suâ necessitate obtendunt dictum illud Christi Johan. 3. v. 5., in quo Bellarminus imprimis exultat, & certissimum causæ suæ præsidium se invenisse putat; Ceterum gratis contra nos adducitur aureum istud Servatoris oraculum, quod à nemine hæctenus nostrum vel in dubium fuit vocatum, multo minus sano intellectum sensu repudiatum. Negamus saltem exindè deduci per bonam consequentiam posse illud, quod volunt Pontificii quidam, & præsertim Bellarminus. Sequi n. ex eo putant, *Baptismi absolutam esse necessitatem, & positâ hæc, impossibile esse sine eo infantes Christianorum ullo modo salvari.* Verum non assequitur hæc expositio intentionem & scopum Christi per omnia. Agit enim Christus hîc de ordinaria regenerationis viâ, Baptismo, cujus Nicodemo & nobis omnibus commendat necessitatem juxtâ ac utilitatem, quam etiam nos magni, imò majoris, quàm Pontificii fortè, æstimamus. Interim tamen haud sequitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ordinariè, ille non potest ingredi in regnum celorum extraordinariè.* Nam regula illa generalis quidem est, at cum exceptione specialis cujusdam casus, qui ejus observantiam facit ex parte quorundam inevitabiliter impossibilem, intelligenda venit. Quod ipsum si pensî haberent Pontificii illi, qui hoc dictum contra nos proferunt, non foret amplius cum iisdem nobis contentio, verum quando absolutam suam Baptismi necessitatem exindè elicere præsumunt, plus inferunt certè in conclusione, quàm erat antè in præmissis. Si autem nondum acquiescunt hæc nostrâ responsione Bellarminus aliq; qui hæctenus cum ipso faciunt, committimus eosdem cum suæ religionis juratis fratribus, qui hæc quidem in parte nostram causam ipsis loquantur. Imprimis vero audiant Toletum in h. l. Johan. c. 3. v. 5. sic commentantem: *abusi sunt hoc loco Servatoris heretici, (Bellarminus & alii Pontificii) neminem posse*

*se salvari, qui non sit ex aquâ & Spiritu regeneratus, quantumvis cum  
conditione & desiderio Baptismi morte præventus. Cui præterea  
addimus Lomb. l. 4. c. 2. distinct. 4., ubi circa hunc locum obser-  
vat: Sed illud intelligendum est de illis, qui possunt & contemnunt  
baptizari, quanquam alibi horum immemor turpiter sibi met ipsi  
contradicat, quod ejus farinae hominibus non adeò tamen inso-  
lens est. Et omnium tandem clarissimè nostram tuetur sententi-  
am Bonav. in eand. distinct. his verbis: ad illud, quod objicitur de Do-  
mini mandato, patet responsio, quia intelligitur de eo, qui faculta-  
tem habet & non præpeditur necessitate. Non itaq; habet cum suis  
Parastatis Bellarminus ex hoc loco citato, quod vel in speciem sta-  
biliat crudelem istam sententiam, quâ innocentes ejusmodi par-  
vuli sine Baptismo decedentes simpliciter infernali carceri manci-  
pantur.*

XXXII. Habent præterea verò aliam adhuc hypothesein Pon-  
tificii, quâ stante, & stare videtur impium istud eorum decretum  
de universali interitu nostrorum infantum sine Baptismo defun-  
ctorum. Notum enim & quidem in vulgum, Dei gratia, est,  
quomodo contendat Papistæ, homines per bona sua opera &  
merita ingredi oportere vitam æternam, & verò absq; iis forma-  
liter & meritoriè consideratis neminem consequi posse salutem,  
Quòd si autem hæc ipsorum hypothesis sibi satis constat, uti qui-  
dem illi jactant, sed falsò, causâ certè jam vicerunt, quoniam in  
propatulo est, infantes ejusmodi adhuc teneros bonis istis operi-  
bus, quæ meritoria vocant, destitui hætenus, atq; sic non posse  
eos promereri, ut decebat secundum Pontificiorum dogma, vitam  
æternam. Verùm explosa meritò jam pridem omnia sive opera  
sive merita humana ex articulo justificationis à nostris Ecclesiis  
sunt, cum per illorum perpetuam imperfectionem ac in sufficien-  
tiam nemo spem ullam salutis vel concipere aut possit aut debeat.  
Nostra potius doctrina in sacris literis fundatissima triumphat,  
quando scilicet docemus, nullum unquam vel in V. vel in N. T.  
consecutum esse vitam æternam, ac ne consequi quidem potuisse  
per bonorum operum merita. Quæ tamen controversia, cum  
huc primariò atq; propriè non adeò spectet, prolixius eandem

persequi superfedemus. Interim quatenus obstricari videtur  
perditæ illi causæ adversariorum, quam adversus nos defendendâ  
semel susceperunt in denegandâ omni salutis spe, nostris infanti-  
bus sine Baptismo decedentibus, eatenus eam hîc minimè in-  
tactam prætermittere potuimus

XXXII. Atq; hæc quidem Pontificiorum potissima argu-  
menta sunt, quibus quàm nihil vel parum insit roboris ad cau-  
sam ipsorum sustentandam, modò vidimus; si quæ tamen adhuc  
sunt alia, illorum resolutio pendet ex iis facîle, quæ hæcenus con-  
tra ipsos disputavimus, & refutavit præterea eadem adq; lydium  
veritatis orthodoxæ lapidem probè examinavit B. D. Gerhardus  
immortalis nominis Theologus in LL. Theolog. de Baptismo §.  
240. seqq. Mittamus nunc itaq; hoc hæreticorum genus, &  
cominùs aliquantum congregiamur quoq; cum Calvinianorum  
agmine.

XXXIII. Quanquam autem initio isti in hac controversia no-  
biscum convenire videri quidem poterant, imò & videri volunt,  
quibus aliàs in more positum est, semper crepare consensum no-  
biscum in plerisq; omnibus fidei articulis, interim si diversas eo-  
rum hypotheses ac rationes, quibus pugnant, diligentius paulò  
conferamus, nimium quantum distare ipsos à puriori doctrinâ no-  
strâ reapse deprehendemus. Atq; ut statim de Baptismi ordinariâ  
necessitate principium repetamus, constat, & jam antea quoque  
monitum in Proemio nostræ disputationis est, Calvinianos haud i-  
dem sentire nobiscum de Baptismi necessitate, &, quemadmodum  
Pontificii in eadem exaggerandâ ultra modum progrediebantur, i-  
ta hosio eadem asserendâ planè deficere. Prodeat nûc saltem in me-  
dium Patriarcha eorum Calvinus, qui l. 4. Inst. c. 15. §. 20. non  
dubitat dicere: *Quantum damni invexerit dogma illud malè  
expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt, s-  
deoq; minus sibi cavent.* Quo quidem loco si intellectam vult Ba-  
ptismi ad salutem necessitatem absolutam, nos minimè habet con-  
tradicentes, si quidem & nos illam strenuè impugnavimus  
contra Pontificios, si autem, quod omninamur, perstringit nostram  
doctrinam, quæ & ipsa necessitatem Baptismi sed limitatam tra-  
dit, certè perum vel nihil eidem tribuere oppidò videtur. Neq;  
aliter

aliter, quin statuunt, possunt haecenus Calviniani omnes, quam  
diu quidem praesupponant, id quod faciunt ad unum omnes, Ba-  
ptismi Sacramentum nihil aliud esse, *quam merum externum si-  
gnum sine re*, cuius sententiae ex propriis verbis ipsos convincit B.  
Gerhardus LL. de Baptismo §. 117. aliiq; ex nostratibus. Hac au-  
tem stante ipsorum hypothese, non esse scilicet efficax medium ac  
organum, sed signum saltem & symbolum regenerationis Baptis-  
mum, quid adeo opus ordinariè habebimus eodem, cum per illum  
non exhibeatur ac realiter applicetur, sed significetur saltem ac  
extrinsecè denotetur effectus salutis ac regenerationis, quem tamè  
verè ac realissimè per eum conferri sacrae paginae multis locis adse-  
runt 1. Pet. 3. 21. Gal. 3. 7. Tit. 3. 5. Atq; hinc patet nostrae & Calvi-  
nianorum sententiae minimè unam eandemq; esse rationem. Pa-  
rum igitur illi referre iudicant, si ve Baptismo infantibus Christiano-  
rum conferatur ordinariè, si ve non; *modò sint à DEO absolutè ad vi-  
tam aeternam praedestinati, & sic ipsos perire non posse*, uti fateri non  
erubescit Withackerus l. 8. contra Johan. Duræum Scotum Tom.  
1. Oper. p. 195.

XXXIV. Atq; circa hoc manifestò dissensum nostrum profi-  
temur, sicut & circa sequentia. Porro autem satis temerariè ac  
intempestivè controversiam hanc de salute infantum nostrorum  
sine Baptismate decedentium referunt ad absolutam illam praede-  
stinationem, cuius aliàs omnia ipsorum plena sunt scripta, atq; ex  
eà quidem totius hujus controversiae decisionem conficiunt, quem-  
admodum modò audivimus ex Withackero, thes. praeced. Nam  
cum secundum eam *DEUS ab aeterno quosdam absolutè, sine ullo fidei  
inuitu, ad salutem ac vitam aeternam immutabiliter praedeterminasse,*  
*quosdam verò itidem absolutè citra omnem antegressa finalis incredu-  
litatis meritum ad aeternam damnationem reprobasse* censeatur,  
hinc ipsis videtur omnis controversiae modus ab eadem pendere.  
Non obscurum enim per eam est, *illos infantes reverà servari, in  
quos electio divina incurrit, quanquam Baptismus non intercesserit,*  
uti concludit Petrus Martyr. class. 4. loc. comm. c. 5. f. 16. Quem-  
admodum è contrario, *Quos Dominus hoc modo (sc. absolutè) non  
elegit etiamsi millies baptizentur externo Baptismo, illis nunquam fides  
aut Spiritus Sanctus donantur, & iusto DEI iudicio relictis suà culpa  
pere*

perirent, deficiente, verum satis blasphemè, lumine illo ac columine suæ sectæ Bezâ in colloqu. Mompelg. p. 469. Huic verò mihi consideret aliquis egregium illud *εὐρημα* Calvinianorum, quando per id, quòd maximè adhuc *κρινόμενον* est, probant oppidò aliud *κρινόμενον*. Quis itaq; ferat ejusmodi importunos disputatores, qui per insignem petitionem principii diversâ controversiæ puncta ex diversis articuli sedibus componere ac deducere præsumunt; Sed antiquum hîc obtinent, quando enim progredi nequeunt illi homines ultrâ, tunc paratum ipsis est communissimum ac certissimum *κρινόμενον*, ut decisiones suas ultimò resolvant in exoletum illud absolutæ prædestinationis principium, quod etiam ut cor ac Palladium suæ religionis adorant; Sed quod cum bonâ pace tantorum virorum ingeramus hîc, dicant nobis, quâdo & ubi solidè istud ex sacris literis probatum prius dederint? in quo quidem cum nobis facere satis hætenus non potuerint, intelligant etiam, nos minime posse admittere illud in probanda nostrorû infantum sine Baptismo decedentium salute. Viderint potius viri Calviniani, *ne per hypothesein absoluti sui decreti certitudinem de salute infantum tam baptizatorum, quam non baptizatorum labefactent, & tantum non evertant, quemadmodum jam illos pridem haud intempestivè monuit noster *ὁ ἁγίος* Gerhardus Disput. Acad. em. part. 2. disp. 5. §. 52.*

XXXVI. Sic hætenus vidimus circa illam probationis rationem, quam propter infantum nostrorum salutem vel interitum ex absoluto prædestinationis decreto accersunt, Calvinianos turpiter deficere. Præterea verò tangenda hîc quoq; illa hypothesis est, de sanctitate originali infantum fidelium, quam fovent, & non uno modo stabilitum eunt. Quanquam Cadmæi illi fratres adhuc in eo dissident, utrum hoc sanctitatis privilegium ante etiam Baptismum proprium sit omnibus ex æquo infantibus sanctorum, advertunt enim alii emunctioris nati qui videri volunt si hoc concedatur, tum periclitari absolutum suum prædestinationis decretum, nec factum testum illud amplius consistere posse, quia sic sequeretur, DEUM omnes infantes nostros ad salutem prædestinasse, quippe qui nullos sanctos salvâ justitiæ suæ lege ad damnationem ab æterno ordinare potest, licet aliàs plerisq; Reforma-

formatorum non adeò incredibile illud habeatur, qui rigidiores sunt in urgendo ac preferendo absoluto suo decreto, quidquid autem de eo sit, nos hypothefin eam arguimus faliffimam esse, fecuti nostrorum D.D. vestigia B. Chemnitii LL. Theolog. de Baptismo, Dn. D. Danhaweri in Hodomoriâ Calvin: phant: 5. §. 6. aliorum, dicimusq; eandem Pelagianismum non obscure redolere. Nec videre prosumus præterea, quomodo uterina illa sanctitas infantum conciliari possit cum eo dogmate, quo infantibus indiscrete non solum ante Baptismum, d. & post eundem fidem planè Calviniani pleriq; omnes denegare solent. Nam ista sanctitas sine fide nulla esse potest, cum potius eam præsupponat, tanquam principium. Neq; enim de *sola Ecclesiastica & extrinsecâ sanctitate* hypothefin hanc suam intellectam volunt, si enim hoc modo se explicarent, facile nos haberent consentientes, si quidem & nos hanc infantibus Christianorum ab utero largimur, & sine propriâ ipsorum fide nihil ominus de his posse prædicari fatemur; verum plus aliquid important ipsorum propria verba, quæ omnino sanctitatem intrinsecam infantum præ se ferunt. Sic enim expressè inquit Beza 2. resp: ad colloq: Mompelg. p. 102. *Sancti ex gratiâ gignunt ex eadem gratiâ sanctos, vi faderis per fidem apprehensi.* Quæ certè sanctitatis gratia prævia fide carere non potest. Ex quibus verò apparet insignis illa contradictio, quâ domestica sua dogmata confodiunt ipsi, atq; hoc ipso in eorum se numero esse profitentur, qui ob veritatis abnegationem in sensum reprobum traditi à Deo sunt. Illud autem simul constat, quod hypothefis illa sanctitatis originalis infantum Christianorum nihil conferat ad probandum eorum salutem, si sine baptismo decesserint.

XXXVII. Atq; hinc etiam liquet, quo consilio hæc adversariorum placita hinc à nobis adducta sint. Non quidem eâ fine, ac si ex professo, quod dicitur, justam eorum pertractationem ac refutationem expedire nunc voluerimus, eam enim feliciter jam pridem perfecerunt nostri Theologi passim, sed ut saltem constaret, quàm diversam viam illi insistant, & insistere etiam teneantur, quamdiu hypothefes has & alias salvas volunt, uti certè volunt, quando ipsis usu interdum venit variari in hæc controversiâ de salute infantum nostrorum sine Baptismo defunctorum. Nam si

tum

tum quæras ex Reformatis, (ut appellitari falsò amant) veriùs Deformatis illis, quid de infantibus Christianorum sine Baptismo decedentibus pronunciare habeant, haud poterunt aliter, quàm quòd eosdem, quos prius sanctos ex utero æstimabant, & quos inter eos ad numerum absolutè electorum ac salvandorum referebant, absolutè quoq; eternùm salvari respondeant. Quam verò ipsis rationem salvationis negamus. Si qui itaq; sunt adhuc in Calvinianis, qui dicunt infantes Christianorum salvari, quos mors ante Baptismum prævertit, illi non iisdem rationibus ac fundamentis, quibus nos suprâ, eorum salutem adstruunt, aut adstruere possunt vi quidem suarum hypothesium, adeoq; plane easdem rejicimus.

XXXVIII. Longè accuratiùs præcipiunt de hâc controversiâ nostri Doctores Theologi, vid. præter suprâ laudatos, B. D. Feurbornius Syntag. II. Dis. 25. §. 10. it. Fascic. 1. Dissert. Theolog. disp. 7. Maximè Reverendus & Magnif. Dn. D. Calovius, Præceptor meus summè suspiciendus in Collegio suo Anti-Calvin. Disp. VIII. §. 3. Excellentiss. Dn. D. Danhavverus Hødomor: Spirit: Calvin: Phantas: VI. §. 6. lin: ultimis; Horum & aliorum nemo hætenus simpliciter & illimitatè affirmaverit, istiusmodi Christianorum vel fidelium infantes ex absoluto quodam electionis decreto, contra quod omnibus modis potiùs contendunt, aut ex sanctitate illâ internâ salvari, verùm hoc est, quod unanimi consensu dicunt ac docenti fermè omnes, *infantes nostros in casu necessitatis divinitùs ipsis immisso, sine percepto Baptismo, statim post nativitatem suam demortuos, non esse reprobatos neq; damnari, d. salvari* extraordinariâ quadam sc. dispensatione, quibus verbis Theologi quondam Excellentissimi & de Ecclesiâ nostrâ totâ præclarissimè meriti B. D. Feurbornii, hanc dissertationem nostram qualemcunq; finimus, imploratâ quoq; Lectoris benigniori censurâ, si non eâ, quâ par erat, accuratione semper usi fuerimus in persequendâ hac arduâ materiâ. Nam nequidem id expectari poteratâ nostrâ tenuitate. Interim illi, quem Johannes vidit *super thronum magnum candidum sedentem, & in conspectu ejus mortuos magnos & pusillos stantes*, Apoc. 20. 12. Deo optimo Maximo sit laus, honor & gloria in secula nunquam finienda Amen! FINIS.



99 A 6948

ULB Halle


3

002 840 022



Ruha Vb 17





DISP...  
DE...



27.  
Q. D. B. V.  
DISQUISITIO THEOLOGICA  
DE  
SALVTEIN-  
FANTUM,

Præcipuè verò  
CHRISTIANORUM SINE BA-  
PTISMO DECEDENTIUM.

*Quam*  
IN INCLYTA LEUCOREA

PRÆSIDE,  
VIRO

*Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,*

DN. JOHANNE *Deutschmann*/

SS. Th. D. & ejusdem P. P. longè celeberrimo,  
Alumn. Electoral. Ephoró gravissimo, nec non Venerandi  
Collegii Theol. h. t. Decano Spectabili

DN. Præceptore, Patrono ac Promotore studiorum  
suorum atatè colendo.

*luci publicæ sistit.*

AUTOR ET RESPONDENS

BARTHOLOMÆUS *Gschütze*

Gryphenbergâ Pomeranus.

*Ventilandam in Acroaterio Maiori d 23. Nov.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI Anno M DC LXIII,

